



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**In Evangelia: Qvæ Vsitato More in diebus Dominicis &  
Festis proponuntur, Annotationes Philippi Melanth.**

**Melanchthon, Philipp**

**Vuitebergæ, 1544**

**VD16 E 4532**

Dominica Tertia Post Epiphania, Euangelium Matth. 8.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35272**

## DOMINICA II.

ut Filius uinum efficiat, sed ille reijcit matrem, uidelicet admonens eam, hæc mandata non pertinere ad maternum officium, & se non uelle ea que ad ipsius uocationem pertinent, gubernari adfectibus humanis. Et tamen postea facit, quod illa petiuerat. Discamus igitur in inuocatione utrunq; non defatigari, scilicet cum differtur auxilium, & expectare ac petere auxilium, quia Deus requirit utrunq;, obedientiam in afflictionibus, & inuocationem.

### QUARTVS LOCVS,

Allegoria.

**P**ICTURA est ecclesie, que celebrat nuptiale conuiuium, cum docet & confitetur euangelium. Et quia accedunt ingentes afflictiones & ingentia pericula, uidetur negligi à sponso, imò ipsa ecclesia cum inuocat uidetur reiecta esse, uidetur non exaudita. Sed tamen exauditur & tandem donatur optimum uinum.

## DOMINICA TERTIA POST Epiphania, Euangelium Matth. 8.

**C**VM AVTEM DESCENDISSET de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ, Et, ecce Leprosus ueniens adorabat

*Leprosus.*

adorabat eum dicens: **Domine**, si uis, potes me mundare. **Et** extendens manum **Iesus**, tetigit eum dicens: **Volo**, **Mundus esto**, **Et** cōfestim est mundata lepra eius. **Et** ait illi **Iesus**: **Vide** nemini dixeris, sed uade ostende te ipsum sacerdoti, & offer munus quod præcepit **Moses**, in testimonium illis.

**Cum** autem introisset **Iesus** **Capernaum**, accessit ad eum **Centurio**, rogans eum & dicens: **Domine** puer meus iacet in domo paralyticus & grauius torquetur. **Et** ait illi **Iesus**: **Ego** ueniam & curabo eum. **Et** respondens **Centurio** ait: **Domine**, **Non** sum dignus, ut intres sub tectum meum, **Sed** tantum dic uerbum, & sanabitur puer meus. **Nam** & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic: uade, & uadit, & alteri, ueni, & uenit, & seruo meo, fac hoc, & facit. **Audiens** autem **Iesus** miratus est, & sequentibus dixit: **Amen** dico uobis, non inueni tantam fidem in **Israel**. **Dico** autem uobis

**DOMINICA III.**

uobis, quod multi ab Oriente & Occidente uenient, & recumbent cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cœlorum filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores, Ibi erit ploratus & stridor dentium. Et dixit Iesus Centurioni. **V**ade, & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer eius in illa hora.

**¶ Loci sunt nouem.**

- I** Duo sunt miracula, quæ primum sunt testimonia, quod hic doctor sit missus à deo: Deinde sunt exempla promissionum, quod sic uelit & nobis opitulari.
- II** Fides leprosi petit cum conditione: **S**i uis &c.
- III** Dilectio anteferenda præceptis cærimonialibus.
- IIII** Commendatio ministerij, cū mittuntur leprosi ad sacerdotes.
- V** Exemplum Centurionis illustrius est, quod continet doctrinam poenitentiae & fidei.

**Laus**

**VI** Laus fidei, quæ docet hæc exerci-  
tia esse ueros cultus dei.

**VII** De uocatione Gentium.

**VIII** De pœna non credentium euan-  
gelio.

**IX** De Centurione, quod euangeliū  
approbet politiam & milia-  
tiam.

*Cum uenerit messias, regi uidebitur  
plaudere ambulabunt pauperes eua-  
gelizantur, mortui resur- Et notat patz*  
**DE PRIMO. Esaiæ 35.**

**S**EMPER de miraculis tenenda est regula. *Regula*  
Primum, quod testentur hunc doctorem uerè à deo missum esse, *de mira-*  
Ideoq; habet ecclesia multa pe- *culis*  
culiaria miracula, ut, resurrectione mortuorum, etc.  
ut certi sinus euangelium uerè à deo traditum esse.  
His testimonijs nostram fidem confirmemus.

Deinde miracula sunt exempla promissionum.  
Sic uult nobis opitulari filius dei, & semper adest  
nobis, sicut illos iuuabat: & in nostris ærumnis con-  
fugere ad eum, petere ab eo auxilium, fide eum inuo-  
care debemus. Et semper referantur miracula ad  
hanc regulam: Filius dei apparuit, ut destrueret ope-  
ra Diaboli. Christus tollit peccatum, & peccati effe-  
ctus, mortem & alias ærumnas, famem, morbos, exci-  
dia, bella. Sed sicut corpori Christi alia tempora fue-  
runt mitiora, alia seuiora, ut tempore crucifixionis,

& ita

### DOMINICA III.

ita ecclesia alias magis, alias minus tranquilla est. Nunc extremum tempus est, quod tristissimum est: sed tamen habemus hanc consolationem, quod Daniel inquit: Tunc stabit dux magnus pro filiis populi sui. iam igitur exerceamus fidem, & inuocemus deum Christum.

### DE SECUNDO.

*Discrimen  
vix, a  
petuntur.*  
**I**N omni inuocatione debet adesse fides generalis, quae credat remissionem peccatorum, & placere Deo nostras preces, nec irritas esse: Sed de rebus, quae petuntur, discrimen est. De promissione gratiae est mandatum, ut nominatim tibi hanc rem tribui credas, ut paulus inquit: Rom. 4. Credenti autem imputatur fides ad iustitiam. Nam de gratia deus expressit uoluntatem suam, & addidit mandatum, ut singuli credamus promissioni gratiae. & haec fides est obedire deo in hac inuocatione.

De corporalibus uero sciendum est, & aliam obedientiam requiri, ut uidelicet parati simus ad obedientiam, si deus uelit nos diutius exerceri: & tamen fides in genere statuatur deum uelle peti corporalia, ut conseruet ecclesiam: <sup>dispensationem dominorum</sup> oeconomias, & politias esse opera dei, esse deo curae, & deum uelle nos in his tueri dis exercere fidem, & inuocationem: **Et cum in his obtemperamus uocationi, non dubitemus, quin deus nobis opituletur, sicut hic in Centurione apparet,**  
quae

qui laborans pro ministro exauditur.

Adferamus igitur in petitione corporalium fidem remissionis peccatorum, fidem intuentem promissionem beneficiorum corporalium, quod deus ecclesiam, politiam, œconomiam conseruare uelit, & uelit harum conseruationem à se peti: Sed quia non expressit uoluntatem suam, quomodo corporalia beneficia singulis daturus sit, & requiritur obedientia nostra in afflictionibus: ideo addita est conditio: **Si uis, sic** David petit: **Si Dominus uolet, reducet me.** Et tamen sciamus preces non esse irritas, quia deus etiam corporalia dat, ut conseruet ecclesiam, politias & œconomias.

*Dilectio antescenda œconomialib9*  
**DE TERTIO.** *preceptis.*

**L**EX dicit immundiciem esse attingere leprosum: Sed Christus, ut seruet proximum, negligit hanc legem, iuxta regulam: **Misericordiã uolo magis quàm sacrificium.** Sic Maccabei in sabato dimicarunt: Hinc gradus operum discendi sunt, & uidendum, qui alijs cedant.

*Omnes leges churitati est. Et in d9 bant.*

**DE QVARTO.** *commendatione ministri*

**M**issio ad sacerdotes est commendatio ministerij, quos mundat deus, hos uult audire euangelium sonans in ecclesia. Et quidem iubet dari munus, quia Christus uult conseruari ministerium nostris collationibus. Et additur, quod man-

2 dant

### DOMINICA III.

*Phrasia  
Hebraica*

dauit Moyses in testimonium ipsis: **Phrasia est Hebraica**, quasi dicat, quod constituit Moyses ius sacerdotibus. **Testimonium enim saepe significat legem, seu ius.** Et **Christus uult comprobatum hoc ius, ut doceas nos de conseruando ministerio.** Haec est simplicissima interpretatio. **Alij aliter enarrant: in testimonium illis ad. est, ut tota lex est testimonium de Christo, ita et in hoc casu sacerdotes debebant testari hunc esse Messiam, qui hos sanauerat.**

### DE QUINTO.

*Exemplum  
Centurionis  
Graecis  
doctrina  
fidei &  
populorum  
hinc.*

**C**enturionis exemplum continet doctrinam de poenitentia et de fide, et perspicue docet, fidem non niti propria dignitate. ideo primum fatetur se esse indignum, et tamen petit beneficium. Sic et nos uera poenitentia agnoscamus indignitatem nostram, et excitemus nos ad inuocandum filium dei. Si incidant dubitationes de modo liberationis, sustentemus nos uerbo, et modum deo permittamus, sicut facit hic Centurio, Contentus est uerbo Messiae, et quidem praedicat potentiam uerbi Christi creaturis imperantem: **Quare agnoscit in Christo potentiam a deo datam, et sentit esse Messiam promissum.**

*Lais  
fidei*

### DE SEXTO.

**Q**uia Christus laudat fidem Centurionis, hortatur nos ad similia exercitia fidei. **Nam**

Nam hi sunt ueri cultus dei. ut: Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, &c.

## DE SEPTIMO.

**D**E uocatione Gentium dictum est supra de Magis. Est q; hic etiam exemplum, quod iustitia Christiana non sit in externa obseruatione rituum, sed in ueris motibus timoris & fidei. Nam etsi Centurio non est Iudaeus, & in eo, ut in homine militari nihil est speciosum. Tamen Christus opponit eum Iudaeis, qui habebant gloriam iustitiae legis. Ita exaequat Iudaeos & Gentes, nec propter externam diuersitatem rituum facit discrimen. Sed utrisq; concedit suae uocationis officia. Leprosum ut Iudaeum, iubet ire ad sacerdotes, Centurionem sinit uti suis militaribus officijs.

## DE OCTAVO.

**H**orribilis comminatio est de poenis Hypocritarum contemnentium euangelium. Minatur enim Christus Iudaeis exitium, quod freti lege, & titulo populi dei, contemnebant & persequebantur Christum: sicut nunc aduersarij titulum *ordem ecclesiasticum* ecclesiae, opponunt purae doctrinae euangelij.

E 3

Doms